

bringen ließ. Er war Ladislaus Oheim im vierten Gliede. Ihm selbst wurde durch den Gegner Albrechts und Ladislaus's, Starsco oder Starczek von Rattay zu Wienerisch Neustadt die böhmische Königswürde angeboten und als er eine solche Ungerechtigkeit verschmähete, wenigstens die vor-

mea sola tibi auferet mors. Sed tu haec per aetatem non intelligis. Et subridens: Quod ergo, inquit, mihi praemium fidei ac laboris erit? & quod das mihi tuo stipendium? Sextum tunc annum agebat Ladislaus: qui postquam Giscra finem dicendi fecit, oculos huc atque illuc circumvolvens, loculos Joannis, Magistri Camerae, suspiciens ex phylacterio pendentibus, quibus ille numos more Theutonico pauperibus erogandos asservabat: hos tacitus arripuit, aeraque sex tantum, neque enim plura invenit, illinc deprompta Giscrae dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & providum & liberalem futurum judicavere. Giscra innexos postmodum auro numos e collo suspendit, Regiae gratitudinis monumentum. (Mit etwas veränderten Worten hat Aeneas Sylvius diese Anekdote seinen *Vitis clarorum virorum* einverleibt, s. b. *Palast* ital. Reise S. 117.)

Hungari, qui mortuo Alberto regem Uladislauum ex Polonia vocaverant, diu imperium Ladislai obtrectavere, bellumque adversus Turcas infeliciter gessere, in quo Uladislauus fortiter pugnans obruncatus est. In conventu deinde civitatum procerumque Ladislaus Rex appellatus, missa legatio ad Fredericum Caesarem, in qua Regni primores fuere, decretum electionis exposuit, Ladislauum in Hungariam mitti coronandum postulavit. Responsum est, recte Hungaros egisse, qui Regem tandem suum recognoverint, electione tamen haudquaquam opus fuisse in eo, quem natura Regem dedisset, neque coronandum esse, sed semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore, nullius tutelam salubriorem esse, quam Frederici Imperatoris & proximi consanguinei: Expectarent aetatem Regno idoneam, interea per se Regnum administrarent. Diu inter Hungaros & Imperatorem ob negatum Regem inimicitiae fuere, & armis quoque tentata res est. Joannes Hunniades infestis copiis Austriam ingressus, quamvis ferro atque igne agros vastaverit, Regem tamen coronamque, & quae repetebat in Hungaria castella obtinere non potuit. Pugnavit iterum contra Turcas, a quibus magno praelio victus, humilior factus Caesaris benevolentiam & petiit et impetravit. Ob quam rem quamvis saepe & ab Hungaris et a Bohemis Ladislaus peteretur: res tamen ad duodecim ejus annum protracta est. At quum Fredericus imperialis coronae suscipiendae gratia Italiam petere statuisset, d. i. in J. 1450, rursus Bohemi, Hungari & Australes, Legationibus seorsum missis, Imperatorem fatigavere, Ladislauum reposcentes: postulata omnibus negata sunt. Ad Bohemos, qui ea de re conventum Pragae habituri erant, ac ferocius agere videbantur, Regem alium electuri, nisi mos eis gereretur, Legatos mittere placuit, quibus & nos additi sumus, Provinciales, quibus apud Pragam dies statuta fuerat, grassante illic peste, in Beneschavia convenere, quos in frequenti conventu Praesidente Georgio Poggiebracio, in hunc modum allocuti sumus: „Petivistis ex Caesare, viri Bohemi, Ladislauum, Regis quondam vestri filium ad vos mitti: idem Australes importunis precibus exigunt. Si vobis mos geritur, illos offendere necesse est: si preces aliorum audiantur, contemnere vestras oportet: si necessarium sit alterum ex duobus, vestram amicitiam praeferet Imperator. Vetus enim majorum suorum cum Bohemica gente foedus, & acceptorum ultro citroque beneficiorum memoria recens. Sin virtus claritasque pensitanda est, quis Bohemico nomini non invideat, cujus victorias tempestate nostra plures numerare licet, quam reliquae gentes omnibus seculis comparare potuerint? Verum Caesari hoc tempore in hanc electionem descendere haudquaquam necessarium videtur, quando ea pueri aetas est, quae neque vobis, neque Hungaris usui esse potest. Esto, veniat in Bohemiam Ladislaus, quod inde Regno emolumentum cedet? Illene jus litigantibus dicet? statum Reipublicae reformabit? adversus hostes copias ducet? belli pacisve munia obibit? Nihil horum praestare potest, cui recte tutela opus est. Illud imprimis ejus adventus faciet, Regis pompa ducenda est, ornanda Regia, adhibendi Ministri, curia more progenitorum apparanda. Ad haec grandi pecunia opus. Vobis nullum aerarium esse audio, nullos census, nulla vectigalia publica. Ad vestras igitur opes